

PIO V. PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

MARIANVS VICTORIVS REATINVS.



ACROS ANCTAM Christi ecclesiam Beatissime Pater, quæ supra firmam petram ædificata est, numquam cessat, ab initio incipiens, humani generis hostis concutere, & ad ruinam omni conamine impellere. Idq. partim molitur per ethnicos, & a religione nostra alienos homines; partim, & multo ualidius per domesticos illius inimicos hæreticos. Qui quidem, ut testatur. D. Ioannes, ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: Si enim fuissent ex nobis, permanessent utique nobiscum. Domesticos autem hostes ideo uocaui, non quod extra ecclesiam illi non sint (quippe cum ex ea prodierint) sed quod intra illam se esse dicetis, sub Christi nomine Antichristum nobis sequendum proponant, & pro ecclesia Dei synagogam Sathanæ introducant: hæresim Euangelium, mendacium ueritatem appellantes. Hæc pestis statim initio nascentis ecclesiæ exorta est, & ueluti infelix lolium, & steriles auenæ, una cum Dominica semente emersit. Quis enim nesciat (prodente id ipso patrefamilias, qui bonam seuit sementem) statim simul cum tritico zizania exorta? & uix annunciatu Euangeliō, extitis se Cerinthum, & Hebionem, & deinde huiuscmodi monstra proxemorum infinita? quæ illud uarijs artibus, diuersisque sophismatibus subruere conati sunt: cunctis ecclesiam in suas partes trahentibus, & euangelij ueritatem apud se solos illibatam manere, perficta fronte mentientibus. Evidem dum Hirænæ, & Epiphanii libros contra ueteres hæreses lego, & tot diabolica figura; ac ueluti aniles quasdam fabulas in eis considero, non possum totus non horreſcere, & intrameinet collectus, non plurimum admirari.